

Heinrich Rudolph Redecker   Cyriacus Wild

## **Disputatio Inauguralis De Advocatis**

Rostochii: Kilius, 1666

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73521512X>

Druck   Freier  Zugang



Advokat

RU für 1666.

Hinnich Rudolf Redeker, Praes. 1c

Cyriacus Wlka, Resp.



DISPUTATIO INAUGURALIS  
*De*  
ADVOCATIS

Quam,  
*Divina favente Gratia*  
*Ex Decreto & Autoritate*  
Magnifici Amplissimiq; Jctorum Ordinis  
in Celeberrima ad Varnum Academia

PRÆSIDE

*VIRO Nobilissimo, Amplissimo, Excellentissimo*  
*& Consulissimo*

DN. HENRICO RVDOLPHO

*Redeker* / J. U. Doctore & Professore P. p. t.  
Universitatis Rectore Magnifico, & Facultatis Decano

Spectabili, Sereniss. Ducis Mechl. Consiliario, & Con-  
sistorii Ducalis Assessore gravissimo,

Præceptore, Fautore & Hospite suo venerando,  
pro consequendis in utroq; jure honoribus

& privilegiis doctoralibus,

*solemni Eruditorum examini submittit*

CYRIACUS *Wild* / Noribergensis.

*In Auditorio Majori, ad diem XX. Decembris,*  
*horis locoq; consuetis.*



ROSTOCHII,

Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr. Anno 1666.

DISPUTATIO INALGURALS

# ADVOCATIS

Quam

Dei Gratia

Ac Dignitate

Magnifici Amplissimi Rectorum Ordinis

in Celeberrima ad Varniam Academia



AVRO VARNIAE

DN. HENRICO RVDOLPHO

Doctori & Professore P. p. c.

Universitatis Rectori Magnifico & Facultatis Decano

Speciosissimi, Sanctissimi, Duci Mechlini, Consilio, & Con-

speciosissimi, Illustrissimo gratissimo,

Precatore, Fausore & Hospite suo venerando,

pro consequenda in meo dignitate honoribus

& privilegio doctoribus

Joanni Ewangerum exornari libentiter

CYRIACUS BILLO Nothbergensis

In Amstelredamo Aedificatus ad diem X. Decembris

anno 1700

ROSTOCKII

Typis JOHANNIS KILII, Aed. Typogr. Anno 1700



Cum Deo!

De  
ADVOCATIS.

I.



Aggressurus nobilissimam juxta ac utilissimam de Advocatis materiam, in vocis Etymologiam inquirere exemplo me monet Ulpianus in l. i. pr ff. D. J. & J. & l. i. ff. d. pact. Derivatur autem nomen Advocati à præpositione ad & verbo vocare, quasi ad se vocare, *Christ. Decis. V. 2. dec. 99. n. 1.* ubi nominis significatio simul rei responderet: advocantur enim ut officium vel subsidium præstent *Perost.*

*in Cornucop. p. 440.* Adeoque paronymice ab Advocando Advocatus dicitur, quia advocamus aliquem, ut causis agendis quoquo studio operetur, vel patrocinium suscipiat l. i §. ii. D. de extraord. cog. Ita invocamus jus & judicem, l. ult. ff. quod met. ca. l. 13. §. ult. de S. P. R. vocamus adversarium §. i. d. in jus voc. evocamus testes l. i §. ult. l. 3. §. fin. ff. de testib. evocat prætor l. i. ff. d. ser. l. 3. C. d. procur. l. 53. §. i. d. Re jud. l. 26. §. 9. ff. d. fideicom. lib. provocamus superiorem judicem l. 6. C. d. Appell. l. 18. ff. eod.

II.

Advocati autem verbum haud uno modo sumitur, quin plures potius admittat significationes (1) Latè, omnes denotat qui advocantur, ut præsentiam commodent, & alicui quovis modo assistant in

A

causa

causa, vel aliquem defendant, unde Advocatia armata & rogata, germ. Schuz und Schirm Gerechtigkeits vide Gail. 2. Obs. § 4. Mart. Mager & Schönberg speciali tractatu, inde feudum advocatix. 2. F. 27. §. quicumq; Vult. de feud. c. 8. n. 17. ita etiam procuratores advocati nomine veniunt Thol. in Synt. jur. l. 49. n. 5. arg. d. l. 1. §. 11. ff. de var. & extr. cogn. Christ. d. l. n. 7. (2) Strictè & appellantur Advocati, quicumq; jus suggerunt, ut tres illi apud Terent. in Phorm. Act. 2. Scen. 4. Inde ex Aufonio Budæus in pandect. p. m. 242. Qui defendit alterum in judicio, aut Patronus dicitur si Orator est: aut Advocatus si aut jus suggerit, aut præsentiam suam commodat amico: aut Procurator, si negotium suscipit, aut cognitor si præsentiam causam novit & sic tuetur ut suam. Inter Patronum autem & Advocatum differentiam statuit Perot. in cornucop. p. 135. & Advocati nomen generalius ac Patroni esse dicit, ut is sit, qui officii causa advocatur licet nihil dicat, hic autem propriè qui agit causam: Ita distinctum olim Advocati & Oratoris officium alii statuunt, & hunc esse dicunt, cui jus in judicio suggerit Advocatus Wesenb. in C. h. i. n. 2. adeoq; orator causam orabat, advocati autem tantum præsentiam suam, propter autoritatem. vocati, aderant Giphani. ad tit. C. de Procur. n. 12. Bocer. p. 2. D. 7. th. 2. cl. 6. sed hæc differentia hodie non obrinet.

### III.

Uti proinde in jure nostro civili Advocati variis salutantur nominibus, ita Synonyma illorum varia sunt, dicuntur enim modo Causidici l. 2. l. 17. §. 1. C. d. Adv. 1. modo Oratores l. 33. §. 1. inf. C. d. Episc. & Cler. modo Patroni causarum in l. 4. C. d. post. l. 1. §. 14. C. d. Adv. 1. modo Patroni litium l. 7. §. 2. C. d. Adv. 2. de quibus & pluribus aliis vide post Coll. Arg. d. Adv. divers. jud. Tholos. in Syntag. J. Univ. lib. 39. c. 6. Mart. de Jurid. p. 4. cent. 2. cas. 115. n. 4.

### IV.

Hicce perspectis ad definitionem rei meritò progredimur, quæ prætermissa, nullam prorsus habemus, quid id sit de quo disputamus, scientiam, teste Cic. lib. 1. off. & lib. 2. d. fin. Myns. ad pr. Inst. d. Just. & Jur. Definimus autem Advocatum: Personam idoneam, quæ alterius causæ in jure vel judicio patrocinium præstat, aut aliorum desiderii contradicit l. 1. §. 2. d. post. l. 1. §. 11. de Var. & extr. cogn. Singula autem definitionis membra hic explicare haut opus est cum

est, cum in subjecto pariter ac forma omnia opportunius proponantur.

V.

Definitionem excipit Divisio, quæ non tam à formâ, quam à subjecto constituenta, vel objecto, desumitur. Vel enim sunt privatorum causis & negotiis addicti, & ita à privatis constituti: Vel publicis negotiis admoti, & ab illis, quibus imperium aliquod competit circa jura publica, assumti: Unde illi simpliciter Advocati vocantur: Hi vero Advocati Regis vel Fisci *l. r. d. Adv. fisci*. Hi in Bataviâ etiam dicuntur Pensionarii, eo quod salarium, & stipendium, quod pensionem vocant, è publico percipiunt, *Christ. d. l. n. s.* suntq; advocati totius patriæ. vid. *apolog. Johann. à Bernevelt in pr.* Deinde vel sunt statuti, qui in Collegio sunt *l. 26. C. d. Adv. 2.* seu qui in matricula seu albo descripti sunt *l. 1. C. d. Adv. 2.* Vel supernumerarii, qui sunt supra statutum numerum, nec certo foro addicti, sed per omnia fora liberè oberrant *l. 12. S. ult. C. d. Adv. 1. b. e.* ut explicat *Pac. Anal. C. d. Adv. 1.* qui in pluribus foris causas agere possunt. junge *O. C. p. 1. tit. 3. §. 18.*

VI.

Originem Advocatorum juri gentium adscribimus; Etenim cum post introductam rerum divisionem, quæ sine Idubio juri gentium adscribitur, *Nob. Dn Præses Præceptor atq; Promotor omni observantia cultu æviternum devenerandus, in Exam. Jur. s. quest. 28. Card. Lugo de J. & J. D. 6. c. 1.* ex perversa hominum natura, evenirent turbæ, & licet circa meum & tuum, necessarium etiam fuit ope hominum, ut quæ venère componi, & ne veniant, quantum potest, diligentissime procurari queant: Vult enim maximè Deus ut ipsi nostra cura atque opera (quo ad bene beatèq; agendum inter nos attinet) hoc efficiamus *Lanc. Polit. d. Off. Adv. c. 1.* Hinc ultro liquet Advocati munus, non solum juri Naturali & Divino convenire, sed etiam utilitate ac necessitate exigente constitutum esse *arg. §. 6. J. d. Attil. tut. & quidem, teste Joh. Bapt. Caccialup. d. Off. Adv. quest. 1. n. 4.* tum ad tranquillitatem & concordiam mortalium, tum ad veritatem & justitiam conservandam, tum ad defendendam aliorum causam, quam maximè necessarium esse probatur *l. 4. C. d. Adv. 2. l. 14. C. d. Adv. 1. Vid. Joh. Bapt. Magon. Cynof. Advocati c. 6. n. 28. P. Bapt. Fragofo de Regim Reip. Christianæ p. 1. l. 5. disp. 13. n. 234. & seqq.* quos refert *Hahn. h. s. n. 6.* Inde etiam non immerito

A 2  
princi-



palibus præmiis seu privilegiis Advocati fruuntur *l. 6. C. d. Adv. i. Coll. Jur. Arg. d. Post. n. 42. & seqq.*

#### VII.

Et ideo etiam magistratus hujus artis præsidium, maxime inter homines circa judicia occupatos, vigere voluit, ne scilicet tenuiores à potentioribus, pauperes à locupletibus opprimantur, sed ut Advocati, dicente *Leone in l. 14. C. d. Adv. i.* ambigua causarum fata dirimant, suisq; defensionis viribus in rebus publicis privatisq; lapsa erigant & fatigata reparent *Wes. in C. h. t. n. 1.* Sicque suum quisq; vigore justitiæ & judiciorum æquitate & potestate, retineat vel recipiat *arg. l. 31. ff. de pos. Lans. d. Tr. cap. 1.*

#### VIII.

Causam Efficientem Remotam constituit Prætor seu Magistratus, vel quicumq; aliàs Jurisdictioni præest, ut scilicet certus ordo ac respectus postulantium observetur, & si publica utilitas id servare videatur, cum pauperes vel miserabiles personæ litigant, his tunc Advocati ex officio decernantur, qui, nisi ex publico salarium constitutum sit, gratis patrocinari tenentur *Exod. 23. vers. 4. Matth. 4. vers. 12. Hippolyt. Riminaldus lib. 6. cons. 329. n. 15. & seqq.* quia teste *Amesio, de conscient. & ejus jure lib. 5. cap. 54. quæst. 9. n. 44.* est Eleemotyna Advocati, quatenus talis, *Hahn. ad Wes. d. l. Speck. Cent. 1. quæst. 35.* Quod etiam in Camera Imp. post depositum juramentum paupertatis, observatur *Ord. Cam. p. 1. T. 19. Gail. 1. Obs. 43.* Hodie tamen pauperum Advocatis plerumq; ex publico salarium constitui solet *Wes. d. post. n. 3. Carpz p. 1. const. 1. def. 25.* Vel quando quis ob potentiam vel machinationem adversarii non facile Advocatum invenire potest *l. 9. §. 5. d. Off. ProCons. quo casu sub pæna interdictionis fori & advocaturæ, Advocati, ut patrocinium sustineant, cogi possunt l. 7. C. d. post. l. 9. §. 4. d. pæn. Caccialup. d. Tr. quæst. 3. n. 3. Speck. Cent. 2. quæst. 46. & Cent. 1. quæst. 69. Carpz. d. l. Besold. delib. jur. l. 3. c. 1.* Item si Judex videat ab una parte optimos & peritissimos Advocatos stare, debet pariter eorū distributionem facere, ut uterq; litigans habeat, qui prudenter ambigua fata causarum dirimere possit *l. 7. C. d. post. Ludvv. ad Wes. d. post. n. 3. Umm. D. 2. n. 36.* Causam propinquam, faciunt clientes seu litigantes, sive sint privati sive Magistratus *l. 1. §. 4. d. post. l. 2. C. d. Adv. 1.* Rationem hanc

hanc reddit *Habu. in not. ad VVes. d. post. n. 3.* quia quisq; potest Advocatum eligere quem vult, etiam ubi certus eorum numerus *Ludvv. in not. ad VVes. d. t.* quod etiam approbat *Ord. Cam. p. 1. T. 25. Umm. d. l. n. 33.*

IX.

Nunc transeamus ad ejus subjectum, nempe personas, quæ Advocati officio fungi possunt: Possunt autem regulariter omnes, qui non prohibentur Advocati officium obire *l. 43. d. procur.* Prohibentur autem quidam Edicto Prætoris, quidam Jure civili, quidam sententiâ Judicis *Franzk. ad tit. d. post. n. 8. Tholos. Syntag. J. Vniy. l. 39. n. 21. Edicto Prætoris* prohibentur Minores 17. annis *l. 1. §. 3. d. post.* cum in minore ætate, maturitas animi, gravitas morum, scientiaq; isti proviucix par & æqualis vix cadit *Steph. Bauni de quasi contractibus l. 3. p. 741.* tum propter metum restitutionis, ne judicium reddatur elusorium. *Frantz. d. l. n. 11.* Muti & surdi *l. 1. §. 3. ff. d. post.* qui causæ momenta, cum ab Advocato explicantur, capere non possunt. Mulieres quæ pro se quidem pro aliis autem postulare non possunt, *d. l. 1. §. 5.* cum virile munus sit, alienam in se suscipere defensionem *l. 18. C. d. procur.* Tum etiam quod ab omnibus officiis publicis removeantur *l. 2. d. R. F. junge l. 1. §. 5. ff. h. t.* pro parentibus tamen, qui propter ætatem vel morbum causis suis curandis superesse non possunt, si alium non habeant admittuntur *Sand. Decis. Fris. l. 1. tit. 3. def. 4. & ad l. 2. de R. F. per l. 46. ff. de Procur.* ita etiam bonorum possessionem alii petere possunt, *l. 7. ff. de bon. poss.* Infames *l. 1. §. 8. d. post. t. infames 2. ca. 3. quest. 7. Ludvv. ad VVes. d. procur. n. 4.* quia Advocati officium est nobile & honorificum *l. 7. C. d. post. l. 4. C. d. Adv. 2.* nisi in integrum restituti sint *l. 1. §. 10. h. t. Frantz. d. l. n. 14. Cæci d. l. 1. §. 5.*

X.

Jure Civili prohibentur Judæi qui nec Doctores, nec Advocati esse possunt, quia Advocati æque ac Doctoris, dignitatis nomen est *l. 14. C. h. t. Christ. d. l. n. 3.* & ex eadem ratione Hæretici *l. fin. C. d. post. l. 15. C. d. Episc. aud.* Quod etiam procedit de Jure Camer. in qua nemo nisi Pontificiæ vel Angustanz confessionis, sit, in numerum Advocatorum recipitur *Ord. Cam. p. 1. t. 18. junct. t. 3. §. ult. Umm. d. l. n. 29.* Qui in causa est Judex, quia inter Patronum & Judicem oportet aliquem esse delectum *l. 6. pr. O. d. post. Pas. Aual. C. d. post. n. 12. quod Continus inter-*

pretatur differentiam. *Conf. Card. d. Lugo de just & jur. p. 2. disp. 41. sect. 1. n. 4. p. 679.* Limitat hoc Peretz cum *Christin. decision. 101. n. 5.* nisi in causa appellationis patrocinari velit, tum enim ob diversitatem causæ & instantiæ, ei, pro quo antea sententiã tulit patrocinium præstare potest. *Servus, l. 6. C. d. jud.* non tamen libertus, modo satis sit eruditus *l. 2. C. d. post.* Qui damnati iudicio publico *l. 1. § 6. d. post.* *Sententia iudicis* prohibentur, quibus advocati *l. 9. ff. d. pæn. l. 6. §. 1. d. post.* vel quod amplius sanè & durius est, foro interdictum est *l. 8. §. 9. ff. d. post.* Et hoc vel in perpetuum *d. l. 9. d. pæn.* ut qui à iudice monitus & datus, patrocinium sine iusta causa recusavit *l. 7. C. d. post.* Vel ad tempus *d. l. 9.* ut qui mala fide processerunt legeruntque falsò instrumenta *l. 13. §. 1. ff. ad l. Corn. de fals.* Idq; vel cum infamia, puta ob crimen aliquod illam ingerens, interdum sine nota infamiæ *l. 9. ff. d. post.* ut quando Clericis *c. 2. X. de post & studio sis foro* interdicitur *l. 9. §. 4. d. pæn.* XI.

Objectum circa quod Advocatus versatur, causæ iustæ atque probabiles sunt, quæ suscipiendæ vel Amore Dei qui est ipsa iustitia ac veritas, vel studio proximi, cui etiam tenatum esse non solum Christiana lex, sed Philosophorum quoque sanæ sententiæ restantur. Quæ propter Advocati maximè circa iustitiam causæ solliciti esse debent, ne injuste clientelam suscipiant *l. 14. §. 1. C. d. Jud. Card. d. Lugo d. Just. & jur. tom. 2. disp. 41. sect. 1. n. 4. p. 679.* qui enim malis patrocinium præstant (ut Nilus Martyr loquitur) non solum scelerum adjuvatores sunt, sed etiam peccati communionè inquinantur; Nec enim solum digni sunt morte, qui quod mortale est faciunt, sed etiam qui scientibus consentiunt, inquit *Paul. Epist. ad Rom. 1. versult.* At tueri rem aperte malam est eam approbare, facientique consentum dare, causam enim certò injustam tueri, manifestè est injustum. Quare Advocatus *credita sibi causa cognita, quod improba sit, vel penitus desperata, & ex mendacibus allegationibus composita, ipsi prudentes scientesque mala conscientia non patrocinabuntur* ait Imperator in *d. l. 14. §. 1. C. d. Jud.* Memores iuramenti quod præstare tenentur, ne alias injusta defendendo Deum & proximum offendant. *Vasq. i. controvers. 10. n. 49. in part. 2.* Hoc die tamen in Camera & passim ferè in Germania, hos iuramentum, cum designantur, & in numerum Advocatorum recipiuntur, præstant, at illud ipsum in singulis litibus non exigitur *Ord. Cam. p. 1. t. 62. & 64.* uti iuramentum calumniæ *R. J. de Anno 1654. §. 43.* XII. Cum

## XII.

Cum verò in hac scientia, quæ opinionum multitudine adeò varia est, & varietate contingentium adeò incerta, ut quam facillimè errari possit, cum vix ac ne vix quidem, etiam diligentissime percontanti, causa ab initio tota patefieri possit; actor enim antequam agit, sua quidem at non rei jura videt: & econtrario reus suas tantum defensiones; non actoris intentionem, antequam ea doceatur, tenet, *Jacob Schultes Obs. forens. 45. n. 32.* omni qua fas est animi contentione curaque vitare debet, ne causam quæ prima facie justa visa fuerit, deinde litis progressu, ex utriusque partis propositis juribus, injusta appareat, ex supersticioso quodam pudore, quem insanum vulgus (infelicitis ingenii vulgarisque doctrinæ esse putans nosse saltem bonas causas defendere) illis ex inferni hostis versutia obrudit, obstinato animo prosequantur *Lanc. c. 8. n. 5.* cum culpam deprehensam pertinaciter tueri altera sit culpa *Parth. Litig. lib. 2. cap. 7. n. 18.* Sed illicò causam deserat *l. 14. §. 1. C. d. Jud. cum & novissimo Imperii Recessu d. Anno 1654. §. über dieses verordnen 37.* in præscripta Juramenti calumniæ formula cautum reperiatur *Roding. pand. Cam. lib. 3. t. 30.* rationem hanc subjicit *Steph. Bavni lib. 3. d. quasi Contractibus p. m. 742.* quod is qui iniqua in foro molientem contra proximum sciens adjuvat, insentem lædatur, ac lædat, ejusque forrunis ac honori insidias struat, quo quid Christiano indignius? quid a justitia alienius? facit quod nullo tempore, ulli fas sit, peccata fovere aut amplecti, nullo defendere ac tueri, cum hæc defensio ut Imperator loquitur in *l. 6. C. d. defens. Civ. naturari scelera faciat,* & sit tacita malæ causæ approbatio, quæ non inter minima scelerarefertur ab Apost. Paul. in *Epist. ad Roman. 2. vers. ult. Nec obstat quod juramento se ad finem litiis usque operas præstiturum promiserit arg. c. 66. d. R. l. in sexto c. 28. de jurejur. Struy. ib. s. . h. s.*

## XIII.

Quemadmodum autem justitiæ & charitati Christianæ quam maxime conveniens est injustam illicò deserere causam, ita etiam Advocato singulari prudentiæ & pietati cedit, si clientes eo inducat, ut suo exemplo causam quam æquitate non niti, pro comperto habet, deserant, aut eū adversario in fraterna charitate, quâ optima fide fas est, eam componant, quod apprimè fieri potest, si jus ille suum, quod fortè nullum vel exiguum est, ipsis manifestet, causam erroris insinuet, & ex-  
culer.

culer. Quod si nec tunc cedere, sed pertinaciter contendere malit, factius est eum indefensum relinquere, quam conscientiam suam scelerose hocce patrocinio inquinare. Illud tamen hic probè Advocato animadvertendum, ne forte derelicto hoc negotio arcana sui olim Clientis prodant, aut secreta propalet, cum hæc revelatio societatem Civilem inter sedirimat & amicitias perimat *Steph. Bauni d. loc. Card. de Lugo d. Just. & Jur. Tom. 2. Disp. 41. sect. 1. n. 6. in fin. p. 679.* Multo minus ad alterius partes fovendas frivole transiliat, sicque perfide illum qui se olim in ejus fidem ac patrocinium commiserat, decipiat, *Lancell. c. 8. n. 10. junge Umm. d. l. n. 39.*

#### XIV.

Utut verò à probi viri officio alienum sit, operam suam injustæ causæ accommodare sicque ad malum cooperari. Non tamen contra justitiam & obligationem officii sui peccat Advocatus, cum causam probabilem atque dubiam recipit ac defendit: Hujus autem assertionis præcipua præsidia sunt *Vasqui. disp. 64. cap. 1. Lessius de Just. lib. 2. cap. 31. dub. 9. Ames, d. l. s. c. 54. n. 42 & 43.* qui hanc opinionem fovent: Dubiam causam vocamus: quando DD. de ejus jure ambigunt, & inter se disceptant de probabilitate, quam advocatus non sine ratione probabilem judicat. Prioris opinionis rationes & fundamenta suppeditat *Bauni d. l. p. 737.* quod scilicet quilibet potestatem habeat defendendi id, quod viri graves honestum ac justum judicent, neque illud legibus ac rationi sit contrarium. 2. Quia eo ipso quod causa sit probabilis, habet reus jus se tuendi, & actor agendi, ergo & advocatus patrocinandi *Cardinal d. Lugo p. 2. disp. 41. sect. 1. n. 7.*

#### XV.

Nec refert, sive sit causa civilis, sive criminalis versantur enim Advocati, non tantum circa causas civiles de quibus textus est in *l. 5. & passim C. d. post. verum etiam circa causas criminales l. 2. in fin. C. d. exhib. reis.* Uti autem defensio est juris naturalis *l. 3. ff. d. Just. & J.* ita incivile, imo inhumanum est, illis, de quorum virâ ac famâ agitur, Advocatum denegare, cum sanguinem quovis modo redimere sit licitum *l. 1. ff. d. bon. eos. que ant. sens. l. ult. ff. d. prævar.* Judex enim non debet defensionem rei impedire sed potius adjuvare *cap. 16. ext. d. accus. l. 19. ff. d. pen. l. ff. d. quest.* quia latius est nocentem absolvere, quam innocentem condemnare *l. 2. C. de his qui latro.* Permissa autem defensione, permissa  
etiam

etiam videntur ea omnia, sine quibus defensio peragi nequit arg. l. 2. ff. d. jurisd. l. 18. §. 9. ff. d. quest. Carpz. in Juriss. crim. quest. 115. n. 88. Farinac. l. 1. q. 39. n. 19. & seqq. quod nec à Constit. Crim. Carol. V. art. 88. quæ hæctenus criminalium processuum norma esse debet, alienum est. Brunnem. de process. Inquis. c. 8. m. 3. n. 21. & seq. nec juri Justiniano adversatur l. 12 ff. d. pub. jud. l. 27. §. 7. ad L. Jul. d. Adult. Interim si notorium sit aliquem esse atrocioris criminis reum, frustra Advocatus admittitur, cum is, qui notoriè facinorosus est, reatâ ultimo supplicio possit mancipari, dummodo de corpore & qualitatibus delicti nullum suboriatur dubium Umm. d. l. n. 38. Clar. 5. senr. §. fin. quest. 28. stat. 2. n. 2. Unde receptum est, quod incarcerati, remoto advocato & procuratore, teneantur ex vinculis respondere, quo jure autem id fiat, interroganti, qui hæctenus inter procuratorem & advocatum distinguere debet, Vid: Giph. ad tit. ff. d. procur. n. 18. respondebimus: siquidem advocatum alicui concedere, & remoto advocato procedere, non tam est defendere, quam inducere reum, nisi sit perniciosissimus vide Gutier. l. 2. qq. civ. 27.

XVI.

Ut autem hujus laudabilis, maxime que necessarii officii, l. 4. C. d. Advo. 2. nobilem provinciam ritè & digne quis subire possit, hæc potissimum conditiones in Advocato requiruntur. (1.) Ut sit vir bonus, qui ab omni fraude, qua contra humanæ societatis jura peccatur, absteineat l. 14. §. 1. C. d. Judic. Lancell. d. rr. c. 2. cum in omni defensione in id quam maxime omnes ingenii & industriæ suæ nervos intendere debeat, ne pietatem Christianam offendar Schultes Obs. Forens. 45. n. 18. Hinc decidi potest famosa illa quæstio. An in bona causa Advocatus possit uti fraude & dolo? Nos cum Zoef. ad ff. d. post. n. 13. & Stephan Bauni d. l. p. 734. Respondemus Negando: Quia omnis fraus & dolus justitiæ & charitati adversatur, cum justitia mendaciis & cavillationibus defendi non amet, sed argumentis veris ac legitimis seipsum defendat. Accedit, quod quælibet actio, bona licet, ab una vel minima circumstantia, litem ac vitium trahat, nec enim ait Hopperus d. Inffitut. Principis ad Philip. n. satis est bonum facere, nisi id ipsum bene facias, ea ratione ac via qua oportet: unde in sacris literis Dei judicia justè judicari jubentur, estq. minus vitiosum, rem justam facere injustè, quam ipsum facere injustum.

XVII.

An autem in bonâ causâ, dolo bono uti, vel officioso, uti vocatur,

B.

mandacio,

mendacio, modo omne perjurium & malitia, callidaq; decipiendi ma-  
 chinatio absit, eam informare possit, si causæ necessitas id sva deat? Quod  
 ex Augustini sententia, quæ refertur in c. Dominus 23. q. 2. affirmandum:  
 cum color & fictio juris veritati ex æquetur arg. t. t. de publ. in rem. act.  
 l. 1. C. de cad. toll. l. 77. §. 31. ff. de leg. 2. pr. Inst. de inoff. testam. Ita qui  
 mutuum solvit, si solutionem probare nequeat, illas à conscientia, dice-  
 re potest, se mutuum non accepisse, adeoq; qui in bonâ causâ fraudem  
 fraude repellit, non peccat. Alciat. in l. 11. de V. S. Covarr. l. 1. var. res. 2. n.  
 1. Wesenb. in. C. de Adv. 1. n. 6. Umm: D. 2. n. 41. Cognol. ad l. 66. de R. J.  
 fraus enim dicenda non est, quæ fraudem excludit. Hill: ad Donell: 18. c. 3.  
 lit. uu. neq; etiam omne quod fingimus mendacium est; sed quando id  
 fingimus, quod nihil significat aut prodest, tunc est formale mendaci-  
 um. Sic Abraham, veritatem quidem celavit, non tamen mendacium.  
 dixit, quando Saram sororem suam assererat c. queritur 2. 2. q. 2. Gen. 20.  
 vers. 2. Nec minus utilis dicitur simulatio Regis Jehu c. utilem d. l. 4. Reg.  
 10. ita Dominus obstetricibus, pro vitâ Judæorum dissimulatâ verita-  
 te testantibus, domos ædificavit. c. si qualibet d. l. Exod: 1. vers. 16. Vide  
 tamen Gabr. Alvarez: de Persi: Jud: Rubr: 14. annot: 4. n. 32. & seqq. Thom:  
 2. 2. q. 110. art: 3.

#### XVIII.

(2.) Prudens, quo delectu prudenti habito, rationum momenta,  
 hinc inde accuratè ponderare, jura ad præsentem casum aptè & nervo-  
 sè accommodare, sicq; causam sua arte atq; industria juvare, eamq;  
 mansuete ac modeste, salva semper fraterna charitate, quam homo ho-  
 mini vi legis divinæ debet, perficere possit. Lancell. cap. 10. n. 16. & seqq.  
 (3.) Eloquens, l. 7. pr. C. d. Adv. 2. Pacianus d. probat. l. 2. c. 41. n. 95. & mul-  
 tis seqq. Hinc etiam in jure nostro vocantur disertissimi l. 13. C. d. Adv. 1. l.  
 ult. pr. C. d. Inoff. test. Viri facundissimi l. 6. §. 2. & 3. C. d. Adv. 2. & clarissima  
 eloquentiæ lumina l. 6. in pr. C. d. Adv. 2. Non quod multa verborum,  
 lenocinia, aut orationis calamistra, ac fucos, hoc officium desideret, sed  
 ut judicij diserta, & non emendicata oratione, qua ministerium vocis  
 aux saltem exhibet, apertè & distinctè causam proponere & explanare  
 possit Bocerus class. 6: diff. 7. th. 15. (4) Diligens, ne clientis innocentiam  
 sua patiatur inertia opprimi, quæq; ejus causæ jura patrocinantur & fa-  
 vent, eludi sinat ab adversario, Bauni d. l. p. 746. cum enim, tacita qua-  
 dam pactiõne, suscepto officio, studium ac diligentiam adhibere tenea-

GWT

tur *Lancell. c. 8. n. 2.* merito si, sua notabili negligentia aut crassa ignorantia, causam clientis perdat, tenetur propter injustam ejus diligentiae omissionem, & ad restitutionem valoris causae, & ad expensas. *Bauni dicto l. p. 751. (5.)* Sit probatè doctus l. ii. §. 1. C. d. Adv. 1. l. 2. C. d. post. qui juris utriusq; praesidio factis sit instructus, quo illum ornatum esse decet, qui se verè Advocatum esse gloriatur, ut cum judicio consulentibus de jure respondere possit, ne alias, dum lites componere cupit, eas perverfa & inepta suggestionem magis excitet. *Lancell. c. 9. n. 9.* Cum profus à ratione alienum sit, eum suscipere velle alicujus patrocinium, qui non sufficienti eruditione, qua ejus jura defendere, aut contraria adversarii fucata oppugnare valeat, polleat. *Reginaldus l. 25. c. 15. sect. 2. n. 667.* Eruditionis autem & gradus sui testimonium, quod hodie à Doctoribus & Professoribus academicis traditur, plerumq; exhibere debet, cum in numerum Advocatorum recipi cupit. l. 3. §. 4. d. Adv. 2. *Perez. in C. h. t. n. 7. l. ii. §. 1. C. d. Adv. 1.* Hocq; etiam obtinet tam in Camera, quam in Republica patria, ubi nullus, nisi Doctor aut Licentiatus, in numerum Advocatorum assumitur. *Vid. Ord. Cam. p. 1. t. 18.* Quare non immerito ab Advocatorum consortio arcemus rabulas forenses, garrulos istos, rabiosos & tabificos licium confusores *Parth. Litig. d. l. n. 26.* qui impudentia, ac spe lucri, ad hoc officium gregatim accurrunt, te, ut loquitur Apulejus, Vultures togati, qui sacrum & venerandum causidici munus tricis suis atq; involucris dehonestant, leges, etiam in liquido jure, ut ceram habent, & pro mimo atq; lucello suo hæc atq; illuc flectunt. *Vid. Carpz. p. 1. c. 1. def. 18.*

XIX.

Hactenus vidimus quis & qualis esse debeat Advocatus, nunc etiam ejus officium paucis perlustrabimus. Ut autem Christiani cujuslibet, ita & Advocati partes precipuae sunt duae: Prima, benè de Deo ac religione sentire, eique obsequia, ut supremæ rerum omnium causae, debita reddere. Altera, ea proximo exhibere charitatis officia, quæ ipse sibi negari, & quo non ferret animo *Bauni d. l. 3. p. 733.* Quare (1) omnes eo intendet nervos, ut clientes, qui suum tueri, & causas dicere ignorant, operâ ac consilio fideliter juvet *Part. Litig. d. l. n. 33.* Et causae merita probè perpendat, momentaq; rerum excutiat *Wes. in C. h. t. n. 6. Ludv. in disp. ad ff. 23. th. 37.* Hinc etiam jurant, quod omni sua virtute atq; ope, quantum ipsis possibile est, quicquid verum & justum existimaverint, clientibus



*alientibus suis inferre procurabunt l. 14. §. 1. C. d. Judic. Ord. Cam. d. l. Umm. D. 5. ad Proces. th. 8. n. 40. adeoq; juramentum in singulis causis exigendum ivadent, Parth. Litig. l. 2. c. 7. n. 12. Brunnem. ad d. l. 14. C. de jud. junge R. F. de Anno 1654. §. 43. Mey. ad jus Lnbec. l. 5. r. 2. art. 5. n. 9. & 10. Cum autem contra legem charitatis, qua veramur alteri facere, quod nobis factum nolumus, quam maximè peccetur, si in fontem proximum contra jus fasque traducamus; ritè caveant Advocati sibi ab omni injuria l. 6. §. 1. C. d. post. Ord. Cam. p. 1. tit. 23. §2. ne derelicto negotio in adversarii sui contumeliam aut palam aut subdole pergant; cum non convitiis, sed jure certandum fiet, & ejusmodi cavillationes magis impediunt quam expediunt processum. Parth. Litig. l. 2. c. 7. n. 14. Coll. Arg. h. th. 33. Accedit, quod impotentis animi sit, linguæ fræna laxare, & convitiis innocentem prosciudere, siquidem Deo hisce pestiferis actibus se gravem, adversario invisum, judicibus molestum, sapientibus ridiculum efficiunt Bauni: d. l. p. 739. & insuper, ob ejusmodi aspergines, pæna arbitraria plecti possunt Carpz p. 1. const. i. def. 19. n. 8. imo interdum prorsus existimationis suæ imminutionem, ob gravitatem injuriæ, patiuntur l. 6. §. 1. C. d. post. cap. Infames 2. c. 3. quest. 7. eleganter Speckh. cent. 2. cl. 4. q. 40.*

XX.

(2) Quia moras necere & lites prorogare, justitiæ, cujus se Advocati studiosos profitentur, est contrarium; oppidò caveant, ne posthabità etiam juramenti religione, litem calumniosè protrahant l. 6. §. 4. C. d. post. Ord. Cam. p. 1. T. 64. sicque & clientem & ejus adversarium novis ac continuis impensis fatigent: quod & tunc sæpè fieri solet, cum Patroni causarum se onerant ac implicant multis causis, propter quas deinde lites protrahere, sicque furtum operæ, jam aliis obligatæ, committere coguntur Parth. Litig. d. c. 7. n. 17. Cum enim salario accepto, operæ ac studium non amplius sit in tua potestate, sed quatenus causa postulat, ei, qui mercede quodammodò illud conduxit, sit obnoxium, ultro liquet, si quid inde demas, tuisque aut aliorum negotiis conferas, quasi alienæ rei, ratione sc. usus, furtum te facere Lancell. d. tr. 6. §. n. 4. Multò minus clientis sui jura causamque parti adversæ Advocatus prodar, vel adversam partem adjuvet, Sed citra erimen prævaricationis, quod extra ordinem punitur l. 1. §. ult. l. 3. §. 2. d. prævaricat. l. 1. C. d. Adv. 1. & collusionis jura clientis tueatur Speckh. Cent. 2. & 4. quest. 41. Carpz. Resp. Elect. 4. cum hostili ista fraude nihil impu-

impudentius, nihil flagitiosius, aut magis sinceritati & simplicitati christianæ contrarium sit *Lanc. c. 3. n. 5.* Integrum tamen ipsi est, restitatio honorario, in partes adversarii, quas æstimaverit justiores, recedere, modo nihil secreti ex parte adversa intellexerit, alias falsi pœna teneretur. *Wegner. ad l. 212. ff. d. V. S. n. 9. per l. 1. §. 6. ad L. Corn. de Fals. Speck. d. l. n. 9.*

XXI.

(3) Advocatus, prætextu honorarii, lite pendente non paciscatur cū suo clientulo de quotalitis *l. 6. §. 2. C. d. post. Guid. Pap. decis. 102. n. 1. & 3. Ord. Cam. p. 1. t. 64. Carpz. p. 1. c. 1. def. 24. n. 3.* cum tale pactum contineat redemptionem litium legibus exosam, *l. 4. §. 1. d. al. jud. mut. caus. Tholof. sup. cit. loc. n. 34.* tūm quia ejusmodi transactio furti quædam ac deprædationis species sit *l. 5. C. d. post. Bauni, dict. lib. 3. p. 75 r.* Neque ullam aliam pactiōem vel contractum cum suo cliente lite pendente ineat *l. 6. §. 2. C. d. post. Ord. Cam. p. 1. t. 64. in pr.* ne hac occasione fraus legi fiat, sicque fenestra aperiatur Advocatis, clientes, qui spe victoriæ quidvis facile promittunt, excoriandi, uti ex *Donel. docet Bocerus class. 6. disp. 2. th. 27.* Salarium tamen, habita ratione laborum ac impensarum, pacisci potest, *l. 1. §. 12. d. Var. & Extra. cog. l. 3. & 5. C. d. post. Coll. Arg. h. t. th. 37.* modo modum in paciscendo salario non excedat *l. 53. d. pact. l. 3. 5. C. d. t. Adde cap. in fames 2. ca. 3. quest. 7.* quod omne religionis iudex æstimabit *l. 1. §. 10. ff. de extraord. cogn. Ord. Cam. p. 1. tit. 46. §. 1. Umm. Disp. 2. th. 10. n. 45. junge Speckb. d. l. q. 45.*

XXII.

Quamvis verò Advocatis jurâ & autores, præprimis si in terminis loquantur, allegare, interdictum non sit, *Carpz. p. 1. c. 1. de f. 4. n. 5.* copiosam tamen jurium & authorum cumulationem, quibus adversarium obruere conantur, cum plus ad ostentationem, aut maliciosam protelationem, aut turpis lucri inhiationem, quam ad indagandam veritatem faciat, *Rutger. Buland. de Commis. p. 1. lib. 2. c. 20. n. 2.* (in actis enim non tam multitudo, quam vis ac potestas rationum attenditur) fugiant, præsertim cum & *Novissimo Imperii recessu de Anno 1654. §. 31* dermahliget, id cautum repèriatur. *Adde Parth. Litig. sup. cit. loc. n. 21. & aliq. seqq.* siquidem mulcta pecuniaria affici possunt, interdum etiam illorum scripturæ plane ab actis remouentur *Carpz. d. process. t. 5. art. 7. §. 4.* Multo minus exoletas & falsas leges, quibus iudici fucum facere satagunt, in medium proferant, ne in crimen falsi incidant *Bart. in l. si quis 33. ad L. Corn. d. fals. aut bonas perverse in alium torqueant sensum Bann. d. l. p. 738. adde. l. 1. C. de V. J. E. §. 12. & l. 3. §. 190.*

Jam videbimus quæ effectus vicem sustinere possunt; respicit autem ille, vel clientes, vel ipsum Advocatum. Illius intuitu se non parum ostendit, quod gesta ab Advocato eandem vim habeant, ac si ipse cliens ea egisset, adeoq; omne commodum ad ipsum redundat, *l. 1. C. d. error: adv.* imo ob Advocati errorem, ne quidem principali rescripto rea retractatur, nisi pars præsens, illico i. e. triduo proximo, Advocati dictis contradixerit *l. ult. C. d. error: Adv. Struv. Ex. 7. th. 12.* vel postea à sententia appellaverit *d. l. ult.* quas propter domino litis, errores Advocati, qui tamen intra triduum tantum allegandi, post triduum autem probandi sunt, non nocent. *l. 2. C. eod.* nam intra triduum simplici erroris allegationi creditur Brunnem. *ad l. 3. C. d. t.* Dixi præsens, nam error absentis, cum non possit videri factum Advocati approbasse, haud nocet, Zoes. *ad ff. d. post. n. 10.* Huic adnumeramus infantes, fatiosos, mentè captos *l. 27. §. 5. d. recept: arb. l. 2. §. 3. d. jur. codicilli* pupillos *l. 10. ff. quib: ex. caus. in poss. eat:* quia etsi corpore præsentes sunt, tamen ob fragile judicium non intelligunt, quid agatur, merito itaq; pro absentibus habentur. Ex eadem ratione etiam DD. hominem non callentem latinam linguam, si ejus Advocatus latine loquatur, pro absente habentur *Pac; anal: C. d. Error: Adv.*

Quamvis autem factum ejusq; circumstantiæ judici per acta & probata innotescere debeant, tamen si forte Advocatus vel ipse principalis quid omiserit, ipse ea, quæ juris sunt, cum ipsi nota esse debeant *Parth: Litig: sup. cit: loc: n. 9.* supplere potest, ac debet *t. r. C. ut quæ des. Adv. junct: l. 18. ff. com: div: Perez: in C. d. t. n. 1.* unde sacratissimo Regi Danicæ Christi: IV. glor. mem. in laudem immortalem reputatur, quod in judiciis, loquacibus Advocatis, quibus alias opponi solet: *Garrula pica tace, Spec: d. Adv. §. 5. n. 2.* dixerit: *Tu narra factum, judicium novit leges.* Deinde illud etiam ad effectum pertinet, quod quamdiu is, qui idoneum Advocatum non habet, aut habere nequit, etiam propter contumaciam damnari nequeat *Wes. ad ff. d. post. n. 7.*

Etsi quidem civilis sapientia, tanquam res sanctissima, pretio nummario non sit dehonesta *l. 1. §. 5. d. Var: & extra.* cum, qui lucro tantum capiuntur, tanquam abjecti & degeneres habendi sint *l. 6. §. 5. C. d. post:*

*C. d. post: cap: infam: 2. ea 3. quest. 7. honestum tamen honorarium (quod alias etiã solatium ut in l. 3. in pr: & S. fin. l. 5. pr. & S. fin. l. 6. §. 3. in fin. C. h. & summa honoraria ut in l. 1. §. 12. d. var: & extra cog. Item palmarium Umm. n. 45. appellatur, hocce munus non respuit d. l. 1. §. 10. d. var. & extra. cog. Cum enim Advocatus scientiam atque operam simul pro sciente exhibeat, merito ipsi, in recompensationem exactorum laborum, honorarium quoddam conceditur Lanc: c. 2. n. 8. Idque non solum recte accipit Card: d. lugo d. Just: & J. p. 2. diff: 41. sect: 1. n. 12. sed etiam quamvis nullum fuerit promissum, implorato officio iudicis, iuste & licite petit l. 3. C. d. post: l. 1. §. 10. d. var: & extra. cog: Struv. Ex. 7. n. 5. Card: Tusch: Tom: 1. conclus: 230. Berlich: decis: 134. n. 9. Petrus Rebuff: d. V. §. p. 96. Olivar: Razzalus p. 2. decis: aurear: 1322. n. 1. quod tamen, in singulis causis, regulariter centum aureos egredi non debet d. l. 3. C. d. post: l. 1. §. 10. & 12. d. var: & extra. Guid: Pap. decis: 190. n. 1. neq; tamen hoc ita intelligendum monet Finckel: Obs: 98. n. 46. ac si Advocati in singulis causis præcisè centum aureos petere possint, cū modus ille, ex quantitate & qualitate, ex personis & fori consuetudine, modo possit augeri, modo minui Umm. d. l. Trentacin. Resol. 1. n. 13. Ideo debet iudex propter incertam causarum varietatem summam petitam taxare & moderari, Ord. Cam. p. 1. t. 46. §. 1. Denais. Jus Can. c. 244. n. 1. Myns. 2. Obs: 75. Speck: obs: 98. quest: 3. n. 50. Carpz: p. 1. c. 31. def. 11. n. 3. Hartman: Hartman: pract: forens: lib. 2. p. m. 490. n. 4. merces enim labori par esse debet ac æqualis Navarr: in Enchir: c. 25. n. 30. alias tenentur id quod excedit, tanquam injustum restituere Grassiū decis: aure: lib. 3. c. 8. n. 15.*

XXVI.

Nec refert si caula cadat, cum patrociniū quidem, non verò sententia, in Advocati manu versetur l. ult: in fin. C. d. cond. ob ca. dat. l. 38. ff. Locat. Schultes Obs: forens: 45. n. 37. modo non commiserit culpam levem l. 10. §. 1. d. neg. gest. arg. l. 14. §. 1. C. d. Jud. Struv. d. lib: 9. Quinimo pro pudore, quem loco laudis amissã causã sustinet, ipsi plus deberi videtur, uti ex Martiale refert Speckh. cent. 1. q. 21. n. 2. Salarium quoque debetur Advocato, etiam si citra laboris impendium consilium suggerat. Hillig: ad Don. l. 18. c. 3. lit. Hbb. Grav. p. 1. conclus: 44. n. 16. Cascial. d. Off. Adv. qv. 1. n. 8.

XXVII.

Cæterum si certum quid, per stipulationem, loco salarii, promissum sit, datur condicctio certi: Si incertum, actio exstipulatu §. 1.

J. d. V. O.

*J. d. v. O. si pacto salariū promissum, vel nihil de eo conventum, no-  
 bile officium iudicis ex l. 1. §. 12. d. Var. & extr. implorandum. Conditio  
 autem & l. un. C. d. suffrag. Advocatis non competit, quoniam illa lex  
 de Advocatis neutiquam agit, quamvis DD. communi ferè errore, hoc  
 statuunt D. Tabor. de suffrag. n. 1. 2. datur tamen casus, ubi etiam actio  
 præscriptis verbis potest competere l. 1. §. 1. ubi Jason ff. de Præsc. verb.  
 nec minus actio locati competere potest l. 38. §. 1. ff. locat. Speckh. cens. 2.  
 el. 4. q. 44 n. 3. Succurritur autem Advocato etiam in propriâ causâ, ratio-  
 ne interesse seu damni, propter l. 7. testam. quem. ap. l. 19. §. hic autem C. d. Te-  
 stib. Gail. 1. Obs. 151. n. 17. Scotan. in Exam. jur. d. Advoc. p. 152. Carpz. p. 1. c. 31-  
 des. 12. & 13. & in process. t. 24. art. 2. n. 15. & seq. imò si annuum sti-  
 pendium ipsi constitutum sit, licet intra annum moriatur, heredes  
 tamen ejus totius anni salariū rectè petunt l. 38. pr. §. 1. locat. l. 15.  
 §. 1. C. d. Adv. l. 3. §. ult. C. d. Adv. 2. Struv. d. l. n. ii. Salicetus ad d. l. 15.  
 Neque post mortem advocati, quamvis integrum salariū ab initio sit  
 datum, illud repeti potest l. fin. C. d. Cond. ob. ca. d. l. 1. §. 13. d. extra  
 cogn. cum aliâ finita causâ salariū regulariter, & nisi aliter con-  
 ventum sit, demum debeat. Umm. d. l. n. Myns. 3. obs. 7. Richard. ad  
 l. un. C. de suff. n. 8. & 9.*

XXVIII.

Si Advocatus ex parte actoris in partem rei concedat, vel contra,  
 adeoque cum adversario colludat, licet proprie prævaricari dici non  
 possit, attamen ad exemplum prævaricatoris punitur l. 1. §. 1. l. 3. §. 2. ff.  
 d. prævar. nam prævaricator teste Plinio l. 1. ep. 20. etiam is dicitur, qui  
 cursim & breviter attingit quæ sunt inculcanda, infigenda, repetenda,  
 multo magis ergo prævaricator est, qui dissimulans patrocinium, collu-  
 dit cum reo, unde si clientis sui susceptam causam prævaricando pro-  
 diderit arbitrariè punitur, & partibus damnum illatum resarcire tene-  
 tur, Const. Car. V. art. 115, imò etiam propter violatam juramenti reli-  
 gionem, præcisione duorum digitorum, de juris rigore puniri possit.  
 dict. Const. art. 107. Sententia talis autem vel ipso jure nulla est l. 1. O. d.  
 Adv. 1. vel ope restitutionis rescinditur l. 18. §. 1. d. minor. adeoque senten-  
 tia ex prævaricatione advocati lata, executionem non meretur Brunnem.  
 ad d. l. 1. Men. d. a. J. q. l. 2. cas. 323. Speck. d. l. q. 41.

Hactenus dictum est de Advocati constitutione, nunc etiam paucis ejus contraria videbimus. Quorum primum est, Advocati mors, *l. 15. §. 1. C. d. Adv. 1. l. 17. C. eod. Bauni supra cit. loc. p. 750.* quæ etiam alias omnia solvit *Nov. 22. c. 20.* 2. Absentia, *l. 7. §. 1. C. d. Adv. 2.* quæ non patitur rebus clientum satis commodè præesse, quæ de causa etiam ex matricula Advocatorum expunguntur, si cum comiteatu ultra quinquennium, vel sine comiteatu ultra biennium, continuum à foro abfuerint *l. ult. C. d. Adv. 2. Pat. Anal. C. h. tit. 3. Professionis depositio, l. 8. C. d. Adv. 1. l. 5. pr. C. d. Adv. 2. l. ult. C. eod. eaq; vel voluntaria l. 9. d. Adv. 1. & l. 5. C. d. Adv. 2.* Ut quando senio confecti hoc officium deponunt, quò casu non tantum titulo clarissimorum & dignitate comitativa fruuntur *l. 1. C. d. Adv. 2.* sed etiam immunitatem habent ab omnibus personalibus muneribus *l. 3. 6. 7. C. d. Adv. 1. l. 2. C. d. Adv. 2. Coll. Arg. d. tit. n. 44. Guid. Pap. decis. 388 n. 2. & seq.* Quæritur: An etiam à tributis? Affirm. *Guid. Pap. decis. 88. & Dec 388.* Negat. *Gutier. p. 1. q. 23.* quæ sententia juri convenientior est. Vel coacta, ut quando non decenter officio functi fuerint, tunc enim pro gravitate delicti, interdum advocaturæ vel foro, ad tempus *l. 8. ff. d. post. vel in perpetuum l. 1. §. 13. d. off. præf. Urb. l. 9. pr. ff. d. pen. ipis interdicuntur: Et tunc interdum notantur infamia l. 6. §. 1. C. d. post. vel insuper pelluntur in exilium l. ult. C. d. post. vel mulctantur pœna pecuniaria l. 7. §. 3. d. Adv. 2. vel extra ordinem puniuntur l. 1. C. d. Adv. 1. Coll. Arg. h. t. th. 47. 4. Revocatio clientis, qui amplius opera Advocati sui non vult uti l. 13. §. 9. C. d. Jud. Vves. in C. h. tit.*

Quemadmodum autem Advocati officio adversatur, si, uti *th. 21.* dictum, de quotâ litis cum cliente suo paciscatur, quia talis pactio, *Quint. l. 12. decl. 7.* piratica, h. e. rapina ac deprædatio clientis vocatur & graviori pœna prohibetur *Speck d. l. q. 45. Trentac. l. 2. resol. 1. de Postul. n. 4.* Ita nec litem ab illo emere potest, tum quia pactio talis præsumtionem inducit, quod per fas & nefas grassatus sit advocatus, *arg. l. 7. mand.* adeoque sceleratas illas pactiones nominat *Brunnem. in l. 5. C. de postul.* tum quia nundinationes lites redimentium, ceu usurariorum, sunt odiosæ: tum quia, ex Constitutionibus Imperatoriis, nemo, ex cessâ sibi actione, plus exigere possit, quam ipse reverâ solvit, *l. pen. & ult. C. Mand.* Neque æquivalens pretium solum esse, ex nuda

confessione cedentis probari potest *d. l. pen. Johan. à Sand. de Cess. aff. C. ii. n. 12. Berlich p. 1. dec. 32. n. 12. Fab in Cod. Sab. l. 4. tit. 26. def. 20. Carpz l. 5. Resp. 33. n. 9.* Iniquum ergo illud lucrum ab uturario & maleferiario Advocato extorquetur, & justissima ex ratione fisco cedit.

XXXI.

Affines Advocatis sunt Procuratores, *l. ult. ff. d. inoff. test.* qui aliena negotia mandato domini administrant *Ludvv. ad Wes. h. t. d. procur.* Et dividuntur in procuratorem in specie sic dictum, qui actoris jus persequitur *l. 9. §. 6. l. 34. §. 3 d. jurej. & defensori opponitur, vel in defensorem, qui rei partes, plerumq; sine mandato, agit, Coll. Arg. h. t. n. 4.* Negotia autem alia sunt judicialia, alia extrajudicialia, hunc alius procurator bonorum, alius litis dicitur *Hahn. de procur. Advocati tamen his duntaxat assimilantur, cum etiam in bene constitutis judiciis, Advocati & procuratoris ad litem officium in unâ eademque personâ soleat combinari, Speckh. p. 1. q. 69. Gail. 1. Obs. 43. n. 8. Mynscent. 4. tit. 32.*

XXXII.

Notandæ tamen sunt differentiæ inter Advocatum & Procuratorem: quarum prima in eo se offert, quod procurator per litis contestationem fiat dominus litis, *l. 22. cum leg. seq. d. procur.* sicque, ut D. D. loquuntur, judicium in ejus persona substantiatur: Advocatus vero litiganti saltem suggerendo adstitit *Frantzke in Com. ad ff. d. procur. n. 2.* (2.) Advocati officium est nobile *l. 7. C. d. post. laudabile, & maxime necessarium l. 4. C. d. Adv. 2. Pac. Anal. C. h. t. n. 7. & dignitas Hartm. Hartman. Pract. forens. lib. 2. p. 490. n. 4.* Procuratoris vero non, item, hi enim notante *Coler. decis. 115. n. 11.* sæpe sunt vilissimæ personæ, quæ omnia nata sciunt, & nihil curant præter bursam hydropicam. (3.) Advocatus navat operam singularis doctrinæ, atque honestissimæ artis, in causâ aliena ex jure defendenda, meritis causæ assistendo; Procurator tantum communes operas in causâ sollicitanda præstat *Giph. ad tit. d. procurat. n. 10. Speckh. d. l. ubi etiam plures differentiæ videri possunt.* Ego hic, propter Statutum Ampl. Fac. quod plura scribere vetat subsisto: Deo, pro sua clementi assistentia, sit laus & gloria.

F I N I S.







*C. d. post. cap. in sam. 2. ca. 3. quest. 7. honestum  
 lias etiā solatium ut in l. 3. in pr. & §. fin. l. 5. p  
 lumina honoraria ut in l. 1. §. 12. d. Var. & extra  
 n. 45. appellatur, hocce munus non respui  
 cog. Cum enim Advocatus scientiam su  
 eliente exhibeat, meritō ipsi, in recompensat  
 honorarium quoddam conceditur *Lanc. c. 2.  
 accipit Card. d. lugo d. Just. & J. p. 2. diff.  
 quamvis nullum fuerit promissum, implora  
 cite petit l. 3. C. d. post. l. 1. §. 10. d. Var. &  
 Card. Tusch. Tom: 1. conclus. 230. Berlich. de  
 V. §. p. 96. Olivar. Razzalius p. 2. decis. aurea  
 singulis causis, regulariter centum aureos eq  
 post: l. 1. §. 10. & 12. d. var. & extra. Guid:  
 men hoc ita intelligendum monet Finckel: C  
 in singulis causis præcisè centum aureos pe  
 ex quantitate & qualitate, ex personis & for  
 augeri, modo minui *Umm. d. l. Trentacin. Re  
 propter incertam causarum varietatem su  
 moderari, Ord. Cam. p. 1. t. 46. §. 1. Denais.  
 2. Obs. 75. Speck. obs. 98. quest. 3. n. 50. Carp  
 man: Hartman: pract. forens. lib. 2. p. m. 490. n.  
 esse debet ac æqualis *Navarr. in Enchir. c. 25.  
 excedit, tanquam injustum restituere Grassi****

XXVI.

Nec refert si causa cadat, cum patrocini  
 tentia, in Advocati manu versetur l. ult. in fin  
 ff. Locat. Schultes Obs. forens. 45. n. 37. modo  
 levem l. 10. §. 1. d. neg. gest. arg. l. 14. §. 1. C. d.  
 imo pro pudore, quem loco laudis amissâ  
 beri videtur, uti ex *Martiale* refert *Speckh.*  
 quoque debetur Advocato, etiam si citra lab  
 suggerat, *Hillig. ad Don. l. 18. c. 3. lit. Hhb. Gra  
 cial. d. Off. Adv. qv. 1. n. 8.*

XXVII.

Cæterum si certum quid, per stipula  
 missum sit, datur conditio certi; Si incertu

rium (quod a  
 3. in fin. C. h. &  
 narium *Umm.*  
 Var. & extra.  
 am simul pro  
 um laborum,  
 n solum recte  
 sed etiam  
 cis, iuste & li  
 v. Ex. 7. n. 5.  
 rus *Rebuff. d.*  
 od tamen, in  
 t d. l. 3. C. d.  
 2. I. neq; ta  
 si Advocati  
 a modus ille,  
 modo possit  
 debet iudex  
 m taxare &  
 44. n. 1. *Myns.*  
 11. n. 3. *Hartm.*  
 m labori par  
 ntur id quod  
 b. 3. c. 8. n. 15.  
 on verò sen  
 a. dat. l. 38.  
 it culpam  
 thg. Quin  
 ipsi plus de  
 2. Salarium  
 n consilium  
 4. n. 16. *Cas*  
 salarii, pro  
 ipulatu §. 1.  
 3. d. V. O.

